

recessu decorum observandum, quod nimirum persona & decorè suscipiatur & decorè deponatur.

5. Prosopopœia tribuitur etiam rebus mutis & inanimatis: Sic Rom. 9. 20. Paulus attribuit figmento figuli: Num dices figmentum figulo: Cur me finxisti ad hunc modum? Psalm. 95. 11. dicitur. Ut misericordia & veritas obvient sibi, iustitia & pax osculentur se.

(Hic actus humanus tribuitur misericordia, veritati, iustitia & paci. Ita sæpè virtutibus, vitiis, brutis, urbibus, regionibus, Reipubl. patriæ, parietibus, montibus, &c. persona humana eiusdemque attributa affinguntur. Exempla occurrunt in seqq.)

6. Prosopopœiæ subicitur μίμησις & ἀελογιζμός sive sermocinatio.

7. Μίμησις, est, quâ alterius verba aut gestus imitamur, ut, Esa. 56. 12. Venite sumamus vinum & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multò amplius. Ubi Propheta μιμητικῶς verba impiorum Epicureorum exprimit.

(Dicitur μίμησις à μιμέομαι, quod est imitor. De eadem diximus supra in distributione Tropi cap. 3. referri à quibusdam inter tropos, sed male, cum speciem peculiarem tropi non constituat, sed interdum ob adiunctos exprimentium gestus Ironia; ut plurimum vero Prosopopœiæ subiiciatur. Talis μίμησις est Psalm. 2. Disrumpamus vincula eorum. Psalm. 35. Euge Euge viderunt oculi nostri, Euge anima nostra devoravimus eum. Esa. 22. Comedavimus & bibamus, cras enim morietur.

H 3

8. Δια-